

Ch. 525. 13.

B. M. I

In
7363

IOANNIS BOCERI,

POETAE MINDENSIS

PRAESTANTISSIMI,

VITAM, FATA ET SCRIPTA

ACCVRATIVS EXPOSIT,

ET AD

ACTVM ORATORIVM

IN DIEM XXVII. APRILIS

ANNI CLO IS CC L.

EOS, QVIBVS HVMANITATIS STVDIA CORDI
SVNT,

PEROFFICIOSE AC PERAMANTER

INVITAT

IOAN. CAROLVS OPITIVS

R. M. G.

MINDÆ, STANNIS ENAXIANIS.



JOANUS BOCCHIUS

ATATI MUNDUS

PHYSICO-MATHEMATICUS

ATATI SCRIPTA ET ATATI

ACQUARIAZIS EXPOSITI

ETC.

MVIRORUM MVTUO

ATATI MUNDUS AGRICOLA

MINIMA CIBIS

{ ATATI HUMANITATIS STUDIORUM

SINT

ATATI HUMANITATIS ET TERRITORIOLIA

ATATI

ATATI GEORGIA OPTIMA

ATATI

ATATI MUNDUS AGRICOLA



LECTVRIS SALVTEM!

Biennum abhinc, Humanissime Lector, ad historiam Westphaliæ litterariam eo tantum consilio adgressus sum, vt de quibusdam doctis Westphalis, nisi elaborata concinnitate contiora, saltem veriora traderem. *Tres Wesselingios* produxi in medium, e quibus de *Hermanno Wesselingio* restant duo, quæ supplementū loco hic addenda videntur. Vnum est *sepulcri inscriptio*, quæ in diui Paulli, quod Mindæ est, templo legitur, his verbis:

Sempiternæ memorie piorum conjugum

*Viri ampliss: consultiss: DN. Hermanni Wesselingii J. C.
Holsato-Schaumburg: Profess: quondam Juris in illust: Hag:
Gymnas:*

*Primarii et Consiliarii intimi; ejusdemque uxoris dilectiss:
Catharinæ Sobben Matronæ multarum virtutum laude
conspicuae:*

*Quorum ille An. Chr. 1633 et. 72: Hac An. 1650 et. 83 placide
in Domino obdormiuit
Monumentum hoc Gratitud: ergo posuere
hæredes*

Anno 1. 6. 5. 2.

Manifesto ex his compertum habeo, Virum hunc demerendis hominibus genitum, in hanc lucem anno clo I^o LXI fuisse suscepsum, Alterum sunt *duæ orationes* a grauissimo ac sanctissimo hoc Viro Ha-goniæ habitæ, quarum notitiam humanitati Viri summe reuerendi C. A. Dollii, sacerorum per Comitatum Schauenburgicum antistitis, in acceptum refero. Prima inscribitur: *Oratio in abdicatione anni-*

uersarii magistratus scholastici, et solenni renuntiatione noni Rectoris
 illustris Gymnasi Schaumburgici, habita publice in Auditorio maiore ab
 Hermanno Wesslingio Mindano J. Cto, consiliario, et Pandectarum Juris
 Professore ordinario 1. die Maii. Psalm 31. In te Domine speravi, non
 Confundar in eternVM. Stadthagii in 4t. duæ plagulæ. Secunda
 hunc præ se fert titulum: Vetus et noua pentecoste Heroico carmine re-
 ligiose adumbrata, et in exemplum publica imitationis studiosis exhibita,
 recitato in majori illustris Gymnasi auditorio, feria secunda Pentecostes
 Anni 1611, ab Hermanno Wesslingio Mindano J. Cto, Consiliario Schaum-
 burgico, et Professore Pandectarum publico, Psal. 143. v. 10. Doce me fa-
 cere voluntatem Tuam, quia Deus meus es Tu: Spiritus Tuus bonus de-
 ducet me in terram rectam. Hage Schaumburgicorum in 4t. plag. duæ.
 Admonet me in præsentia promissæ continuationis fides, vt quen-
 dam e doctis Westphalis in lucem euocem. Is erit Ioannes Bocerus
 poeta præstantissimus, de quo ea, quæ, quanta fieri potuit accu-
 ratione, ex ipsius scriptis concessi, posteritati propagabuntur.
 Honorificentissimam vero est causa, cur mentionem hoc loco fa-
 ciam Viri perillustris ac generosissimi Dn. Bartholdi Dieterici de
 Negendanck Senatoris prouincialis ducatus Megapolitani et dicasterii
 summi prouincialis Adfessoris, cetera: nec non summe reuerendi
 Ioannis Christiani Burgmanni Doctoris ac Professoris Theologiae apud
 Rostochienses clarissimi: summe item venerabilis A. M. Göringii Sy-
 nedrii sacri principatus Mindensis Adfessoris et facrorum antistitis:
 Petri quoque Kohlii, celeberrimi apud Hamburgenses Professoris:
 quippe quorum singularis benevolentia e suis librorum scriniis ea,
 quæ desiderabam, suppeditauit atque de Bocero a me collecta effecit
 multo perfectiora. Nec tacitus ullo modo possum præterire studium
 prænobilis atque eruditii adolescentis Friderici Wilhelmi Carstedii, qui
 vltro Regiam Bibliothecam Berolinensem perquisiuit, et, quæ repe-
 rire potuit, Boceri scripta mecum communicauit. Maximas tantis
 Viris tamque insigniter comitate me complexis publice ago gratias,
 maiores etiam habeo. Hoc enim pacto mihi contigit, vt scriptorum
 Boceri fere nullum investigationem meam subterfugerit. Haec sunt,
 beneole Lector, quæ te præfando scire volui. Tu vero hosce qua-
 bilisunque labores meos boni velim consulas recteque valeas.
 D. Mindæ Calendis Aprilis anni clo 10 cc L.



Q. D. O. M. B. V.

§. I.



oëtarum in Westphalia nullo vmquam tempore fuisse vberatatem , vel eos non præterit, qui tantum a limine historiam rei litterariæ salutarunt. In his, quos Mindensis prouincia tulit, præter Hermannum Huddæum non nisi duo nominandi sunt poetæ, qui scriptis inclaruerunt. Vnus est BERNHARDVS LÜDERVS Mindanus: alter JOANNES BOCKERVS , qui modo Mindensem , modo Hauspergium se nominauit. Ille, Hamelmanno teste, concionator Euangeliæ Mindæ in templo St. Martini fuit: sed inde dimissus atque aliquamdiu in vrbe Hamelensi Rectoris scholæ officio functus, anno 1557 Huxariam in locum Polhennii ad sacra in æde S. Nicolai facienda vocatus est, vbi anno 1566. diem suum obiit. *Hominem doctum et poetam*, nec non *venerabilem et doctum virum* prædicat Lüderum Hamelmannus , ipsique sequentia tribuit scripta: 1. Carmen in vrbum Mindam. 2. Carmen de miseria prædicatorum nostri temporis ad Joannem Comitem de Hoya. 3. Paraphrasin primæ epistolæ diui Joannis carmine concinnatam. 4. Epigram-

gramma in carmen Huddæi de fonte Pyrmontano. 5. Ele-
giam in librum Hamelmanni de missa. Conf. Hamelmanni
Opera Lemgouiae anno 1711, edita pag. 1317. 933. 1092. 256, et
232. Sed ne vnicum quidem ex his Lüderi scriptis usurpare
oculis mihi contigit. Placet vero hoc loco addere iudicium,
quod Bocerus de illo tulit in dedicatione carminis de Origine,
antiquitate, et celebritate vrbis Mindæ lit. A. 7. *Qua in re (pa-
triæ dignitate ab iniuria obliuionis vindicanda) laudandus est
honestus conatus et studium illius vestræ vrbis alumni* (is erat
Lüderus) *cuius carmen in laudem patriæ scriptum aliquot ab
hinc annis Vitebergæ publice excusum et in lucem diuulgatum est.*
*Eius ego in patriam pietatem vnicē amplector et exoculor: sed
profecto optarem, illum alio orationis genere, ad quod fortassis
magis, quam ad carminis vires et proprietates aptus fuisset, et
quo latini sermonis puritatem et usum melius exprimere po-
tuisset, patriæ suæ dignitatem celebrasse et commendasse. De-
trahitur enim maximis et grauissimis rebus orationis ineptia suis
splendor omnisque honor et dignitas. Et qui se ad orationis ali-
quod genus temere conferunt, laudemque ex eo affectant, cui
natura sunt impares, aut quod non summa arte et industria,
aut doctorum mediocri saltē approbatione perdidicerunt, in ni-
bil secius videntur facere elephanitis, qui cum natare nesciant,
iuxta ripas fluminorum obambulare gaudent. Et reliqua.*

§. II.

Bernhardum Lüderum longo post se interuallo reliquit,
et sibi facile principem locum inter poetas Westphalos vin-
dicauit insigne illud decus Mindensis prouinciæ, *Joannes
Bocerus*, siue diuitem et benignam ingenii venam, siue mul-
titudinem ac magnitudinem monumentorum eius, siue di-
gnitatem argumenti, quod carminibus complexus est, siue
casti-

castitatem ipsius poëmatum spectemus. Patriam eius Hamelmannus his verbis indicat: *Joannes Bocerus Laureatus et clarissimus nostri seculi poeta ex ditione Mindensi, verum trans ripas Visurgis versus Saxoniam ortus.* Atque Dauid Chytræus: *habui, inquit, in hac Rostochiensi Academia collegam et amicum Joannem Bocerum prope Mindam in Westfalia natum.* Hos sequuti sunt fere omnes, qui de Bocero egerunt, nec germanam eius patriam nominatim protulerunt. Ipse vero, quem nonnulli *Janum* Bocerum nominarunt, passim in scriptis suis satis luculenter patriam suam insigniuit: ut libro IV. de Origine et rebus gestis Regum Daniae canit patriam suam

*Est sita, bellipotens gelidum qua conspicit axem
Saxo, montanis fertilis ora iugis:
Mons, alium celso spectat qui vertice montem,
Seruat Eremita sacraque templa pii,
Qui quondam degit solis Anthonius oris,
Pertulit et stygii vulnera mille ducis;
Cuius in abruptis prisco radicibus ævo
Condita sunt patriæ tecta vetusta mæ.
Belliger hic priscis habitavit Bructerus annis,
Restituit et signis, Roma superba, tuis.*

Et in Epistola, qua toti Senatus Mindensis ordini amplissimo carmen suum de Origine vrbis Mindæ nuncupat, hæc commemorat: *Et postquam a pueritia procul a patria in peregrinis vixi regionibus, sœpe me tenuit istius castri videndi desiderium, quod de vicino monte nomen habet: in quo me Deus nasci voluit, et a mindanæ vrbis moenibus dimidio milliari distat.* Idem proœmium libri I. Carminum sacrorum his inchoat;

Jam

*Jam mibi labuntur septeni tempora lustri,
Et triplex iterum ducta recurrit biems;
Ex quo VITALES HAUSI PIER EDITUS AURAS
NON PROCUL A RIPIS, FLAVE VISURGI, TUIS.
Belliger in prisca vbi quondam Bructerus annis
Fortia pro patriis miscuit arma focis.*

Elegia L. Joannis Codicii ad Bocerum subiuncta libro
V. de Origine et rebus gestis Regum Daniae idem confirmat:
*Te laudat vitreo pulcherrimus amne Visurgis,
DULCIA QUI PATRIAEE SEPARAT ARVA TUAE.
Tu PATRIAM summis implebis laudibus ARCEM,
Qui sunt MONTANAE nomina clara DOMUS.*

§. III.

Quemadmodum igitur Ludouicus Cælius Richerius
patriam suam Rhodigium primus illustravit, quod antea
cimmeriis obuolutum tenebris latuerat; itemque Pufen-
dorffii pagum Fleam nobilitarunt, alii alia loca obscuriora:
sic noster Bocerus oppidum HAUSBERGAM, situm in
radicibus montis, in quo castrum quondam exstructum
fuit, sedes nobilium de Monte, ad ripas orientales Visur-
gis, qui inter duo iuga montium versus orientem et occi-
densem excurrentia ad septentriones decurrit, illustriorem
scriptis suis reddidit. Memorabilis autem *Hausberga* est
duobus montibus ad utramque ripam Visurgis sibi opposi-
tis seque in sublime attollentibus, de quibus Bocerus:

*- - hinc alio diuī stat vertice templum
Antbonii: ast illinc prisca tibi Margaris annis
Condidit excelsas sedes arasque vetustas:
Montibus Arctois his nullus celsior oris
Aequoreas spectat radice propinquior undas.*

Ille



Ille pone Hausbergam orientem versus dicitur Mons Anthonii, vulgo: **de Tönniesberg**: hic versus occidentem assurgens Mons Vitichindi **de Wedeckenberg**, in quo arx Vitichindi **de Wedeckenstein**, et in summo montis cacumine Sacellum S. Margaritæ dicatum, **de Margrethen Clus**, iuxta quod fontis limpidissimi ac dulcissimi scatetbra, egregium naturæ præbet spectaculum. Præterea castellum Hausbergense caput est præfecturæ, quæ inter quinque, in quas Principatus Mindensis describitur, ut Hausbergensem, Petrihagensem, Reinebergensem, Radensem atque Schlüsselburgensem, maxima, latissimeque patens exsistit. Sed hæc tamquam in transitu. De parentibus vero Boceri, propter bellorum iniurias, nihil compertum habeo, præterquam quod honesti fuerint, rem familiarem mediocrem possederint, plures liberos vtriusque sexus sustulerint, puriorem denique Euangelii doctrinam maturrime exceperint. Nomen ipsis fuit **Bödeker**, ex quo per syncopen **Böker**, ynde noster sibi tribuit nomen **Bocerus**. **Bödeker** vero idem est, quod dialecto superioris Saxoniæ **ein Böttger oder Fassbinder**, aliaque dialecto **ein Büttner**, linguaque Romana Vietor, Græce autem Pithopœus et Lygistes. Propinquia, ni fallor, cognatione nostrum Bocerum attigit Bernhardus Bocerus, qui apud Hamelenses Formulae concordiae subscripsit. cf. Indicem anno 1581. Dresdæ typis exscriptum.

§. IV.

Mirum, quantum a veritate recesserit *Claudius Lyschan-der* Regis Daniae quondam Historiographus, in scripto, quod de scriptoribus Danicis ordine alphabeticò reliquit, in quo Johannem Bocerum vindicauit doctis Danis; sed perperam. Vir perillustris atque excellentissimus *Ernestus Joachimus de West-*

Westphalen Tomo III. Monumentorum ineditorum rerum Germanicarum, præcipue Cimbricarum et Megapolensium istud scriptum inferuit pag. 447. seqq. vbi pag. 474. hæc leguntur: Johannes Bocerus, natione Cimber, ciuis Wiburgensis filius, loci eiusdem ludi Rector et Canonicus, ariuum libera- lium et philosophiæ Magister, in sacris scripturis excellenter versatus, ingenio, eloquio, vena et antiquitatis studio clarus, moribus et ætate venerandus: I. De origine et rebus gestis Ducum Megapolensium Lib. III. II. De origine et rebus gestis Danorum, Ducum Holsatiae et Comitum Schouenburghensem Lib. V. ad Christianum III. Lips. 1557. Profecto hæc vigilans non somniaasset Lyschander, si ea inspexisset, quæ supra §. II. ex hoc ipso Boceri libro de patria eius attulimus. Errauit etiam Georgius Fabricius Chemnicensis, qui Bocerum cognominavit Lubecensem,

§. V.

Dissentient quoque inter se scriptores rei litterariae de Boceri anno natalitio. Alii enim ipsi natalem annum tribuunt 1510, vt Bibliotheca Hamburgensis historica Cent. II. et qui eam sunt sequuti: alii cum Hendreichio annum 1516. a cuius partibus stat Cel. Iöcherus in Lexico litterario Ed. 1733. Sed audiamus ipsum Bocerum. Is in libris IV. Sacrorum carminum ao. 1565. editis Rostochii diserte in proœmio scribit:

*Jam mihi labuntur SEPTENI tempora LUSTRI
Et TRIPLEX ITERUM DUCTA recurrit HIEMS,*

Ex quo vitales hauſi puer editus auras.

iterum sub finem Libri I. in nocte natalitia Iesu Christi sub anni 1562. initium, quo carmine solem et lunam adloquitur:

Et mihi TER DENOS, et SEX POST insuper ANNOS,

Huius que facitis festa redire diēi,

Visite me dextris felicia lumina signis

Et placide cursus continuante meos.

An-

~~anno~~ Annum Bocerus, quod obseruandum, inchoabat a natali Domini nostri Iesu Christi; id quod ipse indicat Libro IV, ubi carmen his verbis inscripsit: in natali Domini nostri Iesu Christi, qui inchoabat annum humanæ salutis 1565. Denique Libro IV. Carminum sacrorum litt. L. 2. fac. b. prioris editionis (nam in posteriori editione eiusdem anni 1565. hi versus omisssi sunt) in carmine ad angelum suum, canit:

*Tu vita cursum per DENOS QUATTUOR ANNOS
Seruasti, illæso cunctaque nostra statu.*

Accedit L. Ioannes Codicius, qui in Elegia ad Ioannem Bocerum quinque libris carminum de Origine et rebus gestis Regum Daniæ anno 1557. subnexa amicum suum his verbis adloquitur:

*Tu quoque præstantum vatum laus magna, Bocere,
Perpetuo fulgens carmine, viue diu.
Dent superi, nobis ut plura peëmata condas
Dum nunc floret adbuc lœta iuuenta tibi:
Nam modo TER TRIPPLICIS tangens CONFINIA LUSTRI
Das satis ingenii pignora magna tui.*

Ex his fatis superque, ut opinor, euidens ac perspicuum fit, Bocerum anno reparatae salutis 1524. in lucem fuisse suscepit.

§. VI.

Mindam puer circiter nouennis venit, vt ingenuarum artium fundamenta poneret, atque omnem operam in literis disciplinisque sumeret. Liberalia hic studia tam cupide tamque laboriose exercuit, in iisque tantum profecit Bocerus, vt numquam ex animo eius grata atque iucunda illius temporis discesserit memoria. Testantur id publicæ litteræ, ad clarissimos et ornatissimos viros, inclutæ Mindensium Reipublicæ consules dignissimos, totumque Senatus ordinem

amplissimum, anno 1563. V. Non. Julii datæ, in quibus hæc leguntur præctara: *Et ego felicitatem et incolumentem vestræ reipublicæ in hoc maxime sitam esse existimo, quod iuuentuti erudiendæ præclararam semper nauauit operam; nec tam diuitiis et reliquis ornamenitis, quam bonis moribus et disciplinis urbem conspicuam ornatamque esse voluit.* A multis enim iam seculis in vrbe Minda Senatus liberalitate, et populi benignitate frequens floruit schola: et ANTE TRIGINTA ANNOS cum puer prima litterarum fundamenta ibi discerem, magnam commilitonum copiam et docentium industriam reapse comperi. *Quod si his periculosis temporibus et bellorum tumultibus, vt fieri solet, parum a pristino instituto decedere vrbs Musis et Phœbo dedita, coacta fuit, et respub. litteraria damnum fecit: vestri erit officiū, clarissimi ornatisimique viri, tam necessariæ et utili cause prospicere, et pristinum decus in fouendis bonis litteris recuperare: et quum cura, et iuuentutis instituendæ diligens et laudabilis ratio, quasi per manus a maioribus vestris vobis data et commissa sit, ne vos a possessione autæ laudis temporum iniuria, et nostri seculi inertia eici patiamini, per propriam vos obtestor salutem et gloriam.* Enimuero non maiori emolumento aut felicitate vestram cumulabitis rempub. quam diligent iuuentutis educatione et institutione. Inde enim, tamquam a perenni fonte, omne decus, et vera virtus in cætus hominum dimanat: et nervus et fundamentum est totius Reip. adolescentium salutaris et concinna educatio, que nusquam alibi rectius fieri potest, quam in scholis bene constitutis. Nam monstrosa et male educata ingenia, vbi ad rempub. gubernandam accesserint, quantum damni dare soleant, nimis magno nostro malo, his temporibus experii sumus. His paullo post subiungit sequentia: *Et quum in vrbe vestra, vestris salutaribus auspiciis prima litterarum fundamenta puer in SCHOLA MARTINIANA didici: mei officii et gratitudinis partem esse existimauui, VRBEM PRIMAM*

STV-



STUDIORVM MEORVM ALTRICEM , aliquo litterarum monu-
mento et munusculo rursus demereri et adficere , eiusque im-
mortales laudes , et studium in fouendis bonis litteris grata
mente prædicare . Non minor enim gratia præclaris vrbibus
babenda est , que iuuentuti ad litteras discendas benigna pre-
bent hospitia , quam ipsis parentibus , quorum voluntate Musa-
rum castris addicimur , et immensis sumtibus ad ingenii ca-
pessendos fructus alimur . Bocerum autem alias quoque fre-
quentasse scholas , ex Elegia Codicii , cuius supra mentionem
feci , coniecturam capio , eiusque versu 57.58.

*Te Rhenus puerum cantantem nobile carmen
Audii , et liquidis Werda senilis aquis.*

§. VII.

Memoria iam prosequar Bocerum in Academias , Wit-
tebergensem , Lipsiensem , Francofordianam et Rostochien-
sem . Wittebergam accessit circiter annum 1541 , id quod
patet ex ipsis Fribergo in Misnia , quod carmen anno 1553.
editum his verbis orditur :

*TER QVATER EXEGIT repetitum Cynthius orbem ,
Dum , procul a patria fidisque remotus amicis ,
Cara per oblatam diduco tempora sortem ,
Nec piger Aoniis desudo miles in aruis.*

Hic studia litterarum et politioris humanitatis , consue-
tudines præterea et familiaritates cum doctissimis viris , in
primis Philippo Melanchthon , quem summa obseruantia
diligentissime coluit , denique opportunitates illius academiæ
ad parandum ea , quæ ad victum et ad cultum suppeditent ,
ipsum diutius et vsque ad annum 1549. sunt demorata . Ap-

paret hoc ex epistola, quam Ioannes Cassitanus, cognominatus Penningbuttel, Lubeca, patria sua, anno 1555. Calendis Iunii ad Bocerum misit Francofordiam, sub cuius initium versu 17 seqq. hæc habet:

*Nam dum Leucorea viuebas hospes in urbe,
Ex quo si memini, SEXTA RECVRRIT HIEMS;
Hic ubi detinuit nostras doctissimus aures,
Quem proprio fouit paruula Bretta sinu,
Quo pietate viro non est præstantior alter
Nec melior nostro natus in orbe fuit:
Aonidum, nosti, communia sacra srororum
Vicino iunctis culta fuisse lare.*

Ceterum non tantum ad artem poeticam, stilique Romani elegantiam, verum etiam ad rerum gestarum monumenta inuestiganda, omnesque antiquitates tenendas omni studio omnique opera incubuit, idque exemplo summorum istius ætatis poetarum, Georgii Sabini, Petri Lotichii, Victorini Strigelii, Ioannis Schöfferi aliorumque, qui iis carminibus, quæ condiderunt, vel res sacras vel historias complexi sunt, et carminibus illustrarunt

Tnv δόξαν Θεώς ἀθανάτου, κ' ἀγαθῶν πλέα ἀνδρῶν

Incudit vero illius ætas et studiorum ratio in tempora ista misera et luctuosa belli Smalcaldici, quod non solum plures Germaniæ prouincias trahebat in calamitates, sed et studiis humanitatis et litterarum magnum iniungebat detrimentum: quade re in scriptis Boceri querelæ occurruunt grauissimæ, cum primis in Elegiarum libro, qui Lipsiæ anno 1554. prodiit, quem ab his exorsus est:

*Parue Liber medio Martis confecte tumultu,
Te procul a Domino fors iubet ire tuo.*

I pre-



I precor, o certus lacrimosi temporis index,

Et geme communis tristia fata mali:

Vndique dum Manors ferro graffatur et igne,

Deflet et indignas Teutonis ora vices.

Nec mirum, poëtam variis miseriis pressum, carminibus cultum vietumque quæsiuissè, quo spectant illa, quæ ibidem sequuntur:

*Quis tibi, feralis si forte nocebit egestas,
Depromet loculis æra petita suis?*

*Quisue via lassum, cunctis et rebus egenum
Accipiet tecto, subsidiumque feret?*

*Heu! te difficilis quam multa pericula sortis
Nec manet unius vis superanda mali?*

*Paupertas, tristisque famæ, liuorque superbis
Exauunt vires in tua damna juas.*

Idem quoque significare videtur Codicius in elegia sua his versibus:

*Cum caneres, lentis procedens fluetibus Albis
Est tibi gratatus MVNERE sape LEVI.*

§. VIII.

Witteberga discessit Lipsiam circiter annum 1550, ibique per quinque commoratus est annos, non alio consilio ac proposito, nisi, vt sedem sibi stabilem et domicilium certum quæreret. Satis diserte hoc desiderium suum exponit ab initio carminis, quod Fribergum inscripsit, hisce versibus:

*At varios vitæ casus, sortisque labores
Exerior, cupidam dum mens absoluere metam
Nititur, vt cultu, rerumque feracior vñsu,
Venturæ referat fructum, laudemque senectæ.*

Pla-

Planius atque apertius, immo, quum spes ipsum, sicut Wittebergæ, ita etiam Lipliæ fecellisset, in elegiarum libro, querelarum plenissimo, explicat hoc desiderium impatiens, in primis Elegia IV. ad Doctorem Ioannem Rudelium Syndicum Lubecensem:

*Multa tuli doctis dum formo pectora Musis,
Hoc quoque dum fudo puluere, multa fero.
Quid loquar ærumnas, et quos fero mille labores,
Temporis indigne quid querar acta meæ?
Publica priuatos augent incommoda luctus;
Ferreus, his qui non ingemuisse potest.
Sed iejuna fames, me languida torquet egestas,
Plus satis inuidiae vis et amara premit.*

Et paucis interiectis ita pergit:

*Nil ego, quam poscit frugalis portio vitæ,
Non opto magnas ambitiosus opes.
Sit mihi quo caris liceat me viuere Musis,
His ego si nequeo viuere, posco mori:
Posco mori, quoties vita status indigus acte,
Et subit in studiis nil opis esse meis.
Errando perit nostræ pars optima vitæ,
Indigus buc illuc dum sine fine vigor.
Jam sedem studiis dum quero vigentibus aptam,
Acta mihi misere SEXTA recurrit HIEMS.*

Atque Elegia XII. ad Ioannem Cassitanum cognominatum Penningbuttel in Italia agentem, amicum integerimum, easdem querelas iterat, solamine addito, quod matre dudum extincta, parentem, si moriatur, non orbum liberis superstitem sit relicturus;

Ossa



Ossa tamen vellem patriis tegerentur in oris:

Ignoto miserum solus in orbe mori.

Me quoque fartassis, quem sors inimica fatigat,

Inque ratem cupido denegat ire fretu-

Opprimet ignotis fatum miserabile terris,

Huc illuc exul dum sine fine vagor.

At licet accelerent, et mea fata perenni

Exsoluant lucu tristitiaque, precor.

Sique placet superis, quocunque sit orbe cadendum,

Nil, mea quæ tellus contegat ossa, moror.

Nec pia, quæ dudum fatis absunta quiescit,

Mater erit nostro sollicitanda rogo:

Nec nostro proles, aut flebit funere coniux,

Et penitus genitor non meus orbus erit.

Denique Elegia XVII. ad Dauidem Peiferum poetam laureatum, digressum et discessum ab amicis Lipsiensibus conqueritur ac deplorat his verbis:

Haec tenus ad Phyliram, viridi semotus in umbra,

Aonia cecini carmina pauca lyra :

Fata vocant, iterum caris diueller amicis,

Hec mibi nec stabili terra petita pede.

Me miserum, quando tranquillo fine quiescam?

Quando feret nauem mollior aura meam?

Hei mibi, cur lacrumis toties offundor obortis?

Cur gemino toties hoc ego triste vale?

§. IX.

Interea duo Boceri Lipsiae prodierunt scripta, quæ præclarum de ipsius ingenio famam sparserunt atque disseminarunt. Vnum est *Fribergum in Misnia Iohannis Boceri*, *Lipsiae in Officina Valentini Papæ anno M. D. LIII. plagulis VIII.*

C

forma

forma octaua excusum. Præmissum est Epigramma *Georgii Fabricii in Fribergum Ioannis Boceri, Lubecensis*, ut perperam scripsit Fabricius. Carmen hoc epicum, quo memorabilia totius Misniae, præsertim vero Fribergi continentur, et vere Chronicon Fribergense dici potest, Consulibus, Senatoribus, populo, plebique Fribergensi nuncupauit eleganti præfatione. Subiunxit in fine Richardi Sbrilii Forliuiensis Elegiam in laudem Fribergæ anno M. D. XXII. scriptam: Eiusdemque Elegiam de mira potentia naturæ in rebus subterraneis procreandis. Georgius Fabricius Chemnicensis rebus memorabilibus Germaniæ Magnæ et Saxoniæ vniuersæ impressis Wittebergæ 1609. in folio, Parte secunda, pag. 226. Ioannis Boceri Elogium Misniae, quod litt. B. 2. seq. ed. Lipsiensis legitur, inseruit. Michael vero Neander Sorauiensis in succincla sua explicatione orbisteræ partium Lipsiæ 1589. in suo typis exscripta pag. 70. b. Friberga, inquit, quam urbem IOANNES BOCERVVS poëta egregius et eruditus celebrat in poëmatis suis, tum aliunde, tum etiam a celebritate ludorum septennali, quæ historiam lapsus Angelorum ac hominum, descensus Christi in carnem, nativitatis, passionis, resurrectionis ac redditus eius glorioſi ad indicium in nouissimo die repræsentabat. Quia vero tota illa res illo erudito et neruoſo carmine describitur, non grauabor totum illum locum descriptum buc adiicere propter adolescentes, ut inde discant, non defuisse maioribus nostris pietatis studium, sed defuisse, qui eos ex verbo DEI recte docerent. --- Carmen autem Boceri hoc est:

At nunc magnifico spectacula structa paratu
Quid memorem? etc.

Subiunxit vniuersa ista, quæ carmine heroico litt. G. i. seqq. complexus est carminis scriptor sub titulo: *Ludorum Fribergensium integra descriptio, quos apparatu ambiioso et maxi-*

maximiſ ſumtibus ſingulis ſeptem annis, tribus vltimis pente-
coſtes diebus facere ſunt ſoliti. Alterum ipſius ſcriptum præ-
ſe fert hunc titulum: *Elegiarum Ioannis Boceri liber primus*
Lipsiae in officina typographica Georgii Hantzſch 1554. plag. 6.
in 800. Præmiſit Dauid Peiferus Poeta laureatus epigram-
ma in Elegias Boceri, quarum XVII. ſequuntur: agmen
claudit epigramma in tumulum Matthiæ Brassani præcepto-
ris optimi et meritissimi. Primam elegiam direxit ad li-
brum; alteram ad Senatum populumque Lubecensem:
tertiam ad Doct. Hieronymum Kieswetterum Electoris
Augusti Cancellarium: quartam ad Rudelium, de quo fu-
ra: quintam ad Philippum Melanchthonem: ſextam ad
D. Antonium de Stiten Consulem: septimam ad D. Her-
mannum Falconem Consulem in Angliam abeuntem: Octa-
uam ad Gerhardum de Houelen: nonam ad D. Engelber-
tum Caſtorpium muſarum vnicum Mæcenatem, cuius libe-
ralitatē erga ſe præcipue prædicat: decimam ad Ioachi-
num Camerarium: vndeциmam ad M. Petrum Vincen-
tium Vratislauiensem præceptorem optimum et poetam
doctissimum: duodecimam ad Ioannem Cassitanum in Ita-
lia agentem; decimam tertiam ad Adamum Siberum poe-
tam facundissimum: decimam quartam ad D. Adamum
Ludinchufen: decimam quintam ad Sidera cœleſtia: deci-
mam ſextam ad D. Hermannum de Dorn, virtute nihil eſſe
fortius: decimam denique septimam ad Dauidem Peiferum
poetam laureatum.

§. X.

Digressus Lipsia, iter flexit Francofordiam ad Geor-
giū ſabinū, quem præceptorem atque patronum ſuum
vſque ad cineres coluit ſumma obſeruantia. Per trien-
nium vitam ibi traduxit, eaque monumenta ingenii condi-
dit,

dit, quibus sibi aditum ad honores et sedem Rostochii collo-
candam patefecit. Scripsit autem primo *Epicedion ornatissimi
viri, prudentia, eruditione et virtute praestantis D. LAUREN-
TII SMEDES, Senatoris inclite urbis Rostochii, patris MAR-
GARITÆ coniugis D. Dauidis Chytræi, quæ obiit anno 1555.
d. 16. Nouembris.* In libro, qui inscribitur: *Duae consola-
tiones morti opponendæ: Altera Christiana scripta a D. Cy-
priano: Altera philosophica L. Annei Seneca, edita cum
argumento et adnotacionibus Dauidis Chytræi, Rostochii ex-
cudebat Iacobus Lucius anno M.D.LXXI. in suo plag. 13½.
litt. M. 3. seqq. ipse Chytræus hoc Epicedium in publicum
prodire voluit.* Edidit deinde *de Origine et Rebus gestis
Ducum Megapolensium Libros tres Lipsiae in Officina Valen-
tini Papæ anno M.D.LVI. plag. 8i. in suo,* quibus loachi-
mus Camerarius epigramma Græcum de Io. Boceri Prin-
cipibus Megalopyrgensibus præmisit, quod excipit Epistola
Boceri nuncupatoria ad illustrissimum principem ac incly-
tum heroem D. Ioannem Albertum, Ducem Megapolensi-
um, Principem Vandalorum, comitem Swerinæum, Ro-
stochiorum et Stargartiorum Dominum, Principem et Do-
minum suum clementissimum. Sequitur Gerardi Guiliel-
mi præfatio ad lectorem, nec non Trimetron græcum a Da-
uide Peifero scriptum: in fine adiecta est Ioannis Cassitani
elegia ad Io. Bocerum. Inde a primis Herulorum et Van-
dalorum regibus, ab Anthyrio, usque ad Ioannem Albertum
Ducem Megapolæum, studiorum Mæcenatem optimum, an-
naliūm complexus est monumenta genere carminis elegia-
co. Postea Ioannis Boceri *Carminum de Origine et Rebus ge-
stis Regum Daniæ, et Ducum Holsatiae, Comitumque Schouen-
burgensium libri quinque ad serenissimum et potentissimum Re-
gem Daniæ Christianum III. Lips. ex Officina Georgii Hantzsch
anno Domini M.D.LVII. plag. 18½. in suo, in lucem prolati
sunt.*



sunt. In fronte epigramma Georgii Sabini legitur, in quo suum de hoc opere iudicium his exponit verbis:

At quicunque leges hæc carmina: talia certe

Sunt Elegis, dices, emula, Naso tuis.

Copia dives ineft, et florida gratia verbis,

Sedato numeri mollius amne fluunt.

Legitur deinde Ioannis Boceri in Reges Daniæ proœmium ad reuerendissimum et amplissimum Dominum, Dominum Andream, Lubecensem Antistitem, et Magnificum et generosum Dominum Ioannem Phrisium Regis Daniæ supremos cancellarios, et strenuum et nobilem Dominum, Petrum Ochsium, Confiliarium. In fine subiiciuntur: Elegia L. Ioannis Codicii, quæ Bocerum summis extollit laudibus; Carmen Iohannis Schofferi poetæ laureati, cuius in extremo hæc sunt præconia:

Vix tantum debet Venetum respublica Bembo,

Vix tantum, Liui, Martia Roma, tibi:

DAPHNÆA quantum REDIMITO FRONDE BOCERO,

Parrhasio debes Dania iuncta polo.

Elegia Bernhardi Holtorpii poetæ Hagoniensis: Epigramma Græcum Iohannis Chesselii: Epigramma latinum, quod Michael Barth Annæbergensis fecit: Annotationes Boceri in libros V. atque Catalogus regum Daniæ, ducum Slevitiae et Holstiae atque Comitum, ordine alphabetico. Scripta eius reliqua anno 1557. edita sunt I. *Genethliacon nati Alberti Ducis Megapolensis, Filii et hæredis, illustrissimi Principis ac incliti herois Domini Ioannis Alberti Ducis Megapolensis, cætera, Francforti ad Viadrum Anno M. D. LVII.* plag. I. in 8uo. Carmini elegiaco, ad Illustrissimum Principem Ioannem Albertum ducem Megalburgensem etc. Epigram-

gramma præmisit Georgius Sabinus, quo de meliori Boce-
rum commendauit:

*Hunc Tibi deuotum Princeps complectere vatem,
Per quem nobilis gens Tua nomen habet.
Nec Te pœnitentia talem fuisse poëtam,
Qui Tibi præclari causa decoris erit.
Doctus enim molles numeros, et amabile carmen,
Quale poetarum gloria Naso, canit.*

Subiecit quoque L. Ioannes Codicius ad Lucinam epi-
gramma, II. *Epithalamion Ioanne Bocero auctore in nuptias
clarissimi viri D. M. Jacobi Bergemanni, Bernouiani, Acade-
mie Francophordianæ ad Viadrum professoris publici. Et ho-
nestissimæ virginis Margaridos, integerrimi viri Domini Ioan-
nis Poppii, eiusdem ciuitatis a secretis, filiæ. Accessit et M.
Hessi Francophordiani carmen gratulatorium in nuptias eas-
dem. His addita est Elegia L. Ioannis Codicij de iisdem nuptiis
Anno M. D. LVII. 15. Calend. Martii plag. 3. in 8vo. Post L.
Ioannis Codicij Schlucknauiensis Epigramma sequitur Epi-
thalamion Ioannis Boceri, quod ita inchoat:*

*Cum Viadri nuper gelidas semotus ad vndas,
In niueo ceptam littore carpo viam:
Sollicitor, cæptique subit mihi cura laboris,
Dum meditor Reges, Dania magna, tuos. etc.*

§. XI.

Multa, fateor, animum inclinant, ut credam, Ioannem
Bocerum in Viadrina e manibus Georgii Sabini coronam
Daphnæam accepisse, quemadmodum idem Ioanni Schosse-
ro contigit, cui Ioannes Hofferus Coburgensis Iurisconsul-
tus elegia quadam, quam emblemata sacra Vitebergæ apud
Cra-

Cratonom anno 1560. plag. 6. in suo excusa exhibent, de laurea poetica, his verbis est gratulatus:

*Nam donante tibi nuper Daphnæa Sabino
Serta poëtarum lēta corona fuit:
Quos inter primas merito tulit ipse BOCERVS,
Tinctus in Aonio Codiciusque lacu.
Quam decus est ingens claro placuisse Sabino?
Quem iactat vatem Teutonis ora suum:
Itala quem tellus passim miratur et audit
Suauiter Aonia carmina voce loqui:
Gloria cardinei cætus quem Bembus honorat,
Adsertor linguae, Roma diserta, tua.*

Primus enim, ut opinor, Schofferus fuit, qui nostrum in supra commemorato carmine *Daphnæa redimitum fronde* appellavit. Persuasum quoque habeo, Bocerum eodem modo renuntiatum fuisse Magistrum, quo Io. Schofferus hunc honorem obtinuit a collegii philosophici Witteberg. Decano Casparo Guilielmo Hallensi, qui decreto hæc verba inseruit: *Cum igitur ingenium buius Iohannis Schofferi, et eruditionem, et scribendi facultatem et mores probaremus, decreuimus ei gradum Magisterii philosophici, et has nostras litteras testes esse volumus iudicij de eo nostri, et benevolentiae erga ipsum et gradus.* Schofferus autem ad gubernationem Scholæ Smalcaldicæ id temporis erat vocatus, conf. Libros III. Epist. Schofferi. Exploratum denique mihi est, accitu illustrissimi principis IOANNIS ALBERTI, Bocerum exeunte anno M.D. LVII. iter Rostochium esse ingressum. L. Ioannes Codicius enim in carmine anno 1557, ad Bocerum missò sub finem ita scribit:

*Plura tibi canerem, memorem testantia mentem,
SED VIA TE COGIT, me mea cura vocat.*

§. XII.

§. XII.

Venio nunc Rostochium, quo noster accessit, Rectore Academiæ Matthæo Röselero Lucano, qui die V. Ianuarii M. D. LVIII. eius nomen in tabulas academiæ his verbis retulit: M. Ioannes Bocerus, Huspergius, Poeta laureatus, honoratus; vtpote qui ab illuſtrissimo principe Professor poeſeos est conſtitutus. Vix dum domicilium ac ſedem Boce-ro præbuerat Rostochium, Lambertus Ludolphus Pithopœus Dauentriensis, qui anno M.D. LIII, Rectore Antonio Freudemanno Hallensi I. V. Doctore, in Album Academicum adscriptus fuerat, in amicitiam ac fidem eius ſe contulit, atque coniunctiſſime cum eo vixit. Pares ſcilicet cum paribus facillime congregantur, et cum vterque ſtudio poeſeos impeneſe delectarentur, vnuſ in alterius animuſ tamquam in-fluebat. Quamuis autem Pithopœus menſe Iunio anni M.D. LVIII. acceptis a Bocero aliisque professoribus Roſtochiensibus litteris commendatitiis ad Melanchthonem, diſcederet Wittebergam: amicitia tamen inter Bocerum ac Pithopœum magis ac magis eſt conglutinata partim litterarum commercio poetico; partim coniunctione nuptiarum. Nam anno M. D. LIX. in matrimonium natu maiorem Pithopœi ſororem MARIAM duxit, viduam M. Theodori Someri Amersfordiensis, qui doctus et pius vir mille a pontificiis pericula in patria expertus, exſul cum cara coniuge Roſtochium petierat, ibique poſtridie Id. Nouembris anno M.D. LVII. diem ſuum obierat, in quem Pithopœus hoc chronostichon fecit:

*HoC bVſto eXſtInCtI reqVIefCVnt offa SoMerI:
In rViLlI VIVIt ſpIr hVs arCe poLI.*

Bocerus in Elegia ad Pithopœum de ſuo coniugio ſic cecinit:

Hacte-



*Hactenus in nostris cantata puella libellis,
Ediderim quamvis plurima, nulla fuit.
Et dum sollicite, quenam mibi cedere possit,
Specto, subit sensus una MARIA meos.
Illa placet, vite cunctos addicta per annos,
Materies crescit carminis illa mei. etc.*

Eique sequentem subiunxit epistolam ad Pithopœum:
Memoria digna est, carissime affinis, Poetæ illa sententia
vere et sapienter prolatæ:

Tίς δὲ οἶκος ἐν Βροτοῖσιν, ὅλβιστός ποτε
Γυναικὸς ἐθλῆς χαρὶς, ὄγκως τοῖς χλιδῇ.

Volente igitur et ita ordinante DEO O. M. tuam sororem Mariam mihi dulcissimam elegi coniugem. Tui erit officii, huic coniugio omnia fausta ab æterno Deo, omnis pietatis et bonitatis fonte, precari. Quæ ad γαμιὰ nostra attinent, apud nostros Schofferum et Chesselium diligenter curabis. Non enim dubito, quin aliquid in meas nuptias de largo Musarum horto, qui vtrique fœcundissimus est, sint depromturi. Id te petente et hortante facient diligentius et lubentius. Certum diem nuptiarum necdum constitui-
mus. Abest enim Dux Iohannes Albertus in Augustanis comitiis, quem nuptiarum tempore in primis aedesē cupio, vt Mæcenatem cum semper erga me clementissimum, tum nunc minime a me alienum. Proximis litteris tempus certum tibi indicabo, ad quas vt adsis, pro nostra affinitate, et inita arctioris amicitiae copula, si pateris, impero. A D. Philippo Melanchthoni, præceptore meritissimo, et omni honore dignissimo, modeste petes, vt dignetur suo quoque epigrammate nuptias meas et aliorum carmina nuptialia exornare, qua de re ad ipsum scripsi. Bene et feliciter vale. Roſtochii V. Cal. Aprilis M. D. LIX. Tantum de matrimonio

D

Bo-

Boceri. Amicitia vero inter Bocerum et Pithopœum claudicare vila est, postquam Pithopœus in doctrina de S. Cœna a Lutheri sententia plane discessit et Heidelbergam sese contulit.

§. XIII.

Lubenti animo hoc loco cum litterarum inter Bocerum et Pithopœum commercium, tum programmata et carmina academica, quæ in ephemeridibus academicis Posseelianis exhibentur, et hoc titulo prodierunt: *Scripta in Academia Rostochiensi publice proposita ab anno Christi 1560. usque ad Octobrem anni 1563. et inde ad initium anni 1567. partes duæ cum indice, Rostochii excudebat Iacobus Transylvanus anno M. D. LXVII.* prætermitto silentio: vtpote quæ seorsum typis exscribi suo tempore curabo. Persequar tantum ea, quæ propositum meum proprius attingunt. Exstat *Elegia ad Dauidem Chytreum ligentem obitum carissimi patris sui D. Matthei*, quem ex hac vita Deus euocauit die 29. Januarii anno 1559. postquam triginta annos puram euangelii doctrinam docuit in oppido Creichgoe Menzinga, scripta a Iohanne Bocero poeta laureato. Hanc Elegiam lectu dignissimam reperias in libro, cuius supra mentio facta est, inscripto: *Duae consolationes morti opponendæ etc.* quem Dauid Chytraeus Rostochii ao. M. D. LXXI. in 8vo edidit, litt. N. 3. seqq. nec non in paullo ante in lucem prolatu libello, cui titulus: *de studio Theologico recte inchoando Dauid Chytraeus Witteberga excudebat Iohannes Crato anno 1566. pag. 6. in 8vo. litt. E. 5. seqq.* Demiror equidem, Ottone Fridericum Schützium, qui copiose et abundanter de Chytræo egit, nullam huius Elegiæ fecisse mentionem, sed tantum Libri I. pag. 187. in notis litt. g. scripsisse: v. Epitaphia familiae Chytræi in calce lib. de Morte et Vita æterna. Temperare autem mihi nequeo, quo minus studiosæ iuuentutis caussa, X Regulas, quibus rationem complexus est

stu-



studii Theologici , adiiciam , quarum I. est de Precatione II. de lectione quotidiana et attenta Scripturæ S. III. de locis theologicis studiose legendis. IV. de linguarum studio. V. de præceptis artium dicendi et imprimis dialecticæ VI. de exercitio disputationum. VII. de lectione Patrum. VIII. de historia ecclesiastica. IX. de studio philosophiæ cum Theologia coniungendo. X. de experientia seu praxi doctrinæ in doloribus, ærumnis et temptationibus ad usum transferendæ. O quantos habituri essemus theologos, si hæc usquequaque tenerentur!

§. XIV.

Sequitur annus M.D.LX, quo iter in patriam Bocerus fecit, patrem, fratres et sorores Hausbergæ, nec non Mindam, quam maxime adamabat, visurus. De carminibus, quæ hoc iter peperit, infra erit dicendum. Interea Wittebergæ die mensis Aprilis XIX. anni M.D.LX. placidissime exspirauit Philippus Melanchthon, cum complexisset annos LXIII. dies LXIII, eadem hora, qua natus fuerat, circiter septimam vespertinam; postquam multos ante obitum menses amicis suis hoc distichon commemorauerat:

Sic ego quotidie de lecto surgo precando,
Vt mens ad mortem sit duce læta DEO.

Celebrarat quoque interim Ioannes Schöfferus Aemilianus, e Thuringia originem dicens, Professor publicus in Academia Francofurtiana nuptias, cum quo vetus consuetudo et Pyladæa amicitia Bocero nostro intercedebat. Reduci itaque Rostochium et de Epicedio et de Epithalamio cogitandum erat. Illud prodiit hac inscriptione: *Epicedion Reuerendi et clarissimi viri Philippi Melanchthonis scriptum a Joanne Bocero in Academia Rostochiana principum Megapol-*

*lensium publico Professore Vitebergæ excudebat Johannes Crato
Anno M.D.LX. plag. 2½ in 4to.* Epicedion genere heroico
scriptum dedicauit clarissimis et prudentissimis viris, et se-
natoria dignitate in inclita Lubecensium Repub. amplissimis
Dno. Henrico Collero et Gotthardo ab Houelen: idemque
insertum est Iani Gruteri Deliciis poëtarum Germanorum
Traiecti ad Moenum 1612, forma 12ma impressis P.I. pag. 636.
*Epithalamion in nuptias Joannis Schofferi Professoris publici
in Academia Francofordiana et pudicissime eius sponsæ Margarite*,
legas in Libro I. Carminum adoptiuorum M. Ioannis
Schofferi Aemiliani, Consiliarii Brandenburgici, Poetæ et
oratoris quondam in Academia Francofordiana laudatissimi,
qui cum X. aliis poematum selectissimorum libris et III. epi-
stolarum anno M.D.XCVIII. prodiit. Initium epithalamii,
quod superiora illustrat, adscribam ex litt. Y 3. seqq.

Tristior occiduis nuper digressus ab oris,

Cum liqui patriæ mania cara meæ.

Transfui filias, famulo comitatus, et acris

Me dolor, et patriæ maximus vñit amor.

Et reputans caros fratres, carasque sorores,

Vt flentes abitu condoluere meo:

Quæque mibi genitor madidis narravit ocellis

Verba, quibus patrii plenus amoris ait:

Quam mea canities gelidas descendet ad umbras,

Hasque mei ponam corporis exuias,

Ad me, nate, prius, quod si potes, ipse recurre,

Nate, senectutis fida columna meæ.

BIS DVO LVSTRA mibi iam non conspecte, relinquis

Tam cito cur patriæ mania cara domus?

Et interiectis pluribus querelis, fingit Terpsichoren, vnam
nouem sororum, a tergo se corripiuisse his verbis:

At-

*Atque ita, cur nimiis, vates, turbare querelis,
Et quid in afflito peclore voluis? ait.*

*I, pete Rostochium, qua te coniuxque puerque,
Schofferique tui littera fida manet.*

Cæterum Janus Gruterus hoc quoque elegantissimum carmen, quo viginti duos poëtas Germanos Bocerus mirifice collaudauit, deliciis poëtarum Germanorum admisicuit. Præterea eodem anno lucem adspexit carmen Boceri prope mitem ad Ioannem Caselium iter in Italiam facturum, hoc titulo: *Ioannis Caselii Witeberga discedentis ad Academiam, amicos et comites elegia. Elegia Io. Boceri ad I. Caselium, Epitaphium Græce scriptum D. Philippo Melanchthoni a I. Caselio.* Ακερδεια λελογχε Θαυμα κανηγωσ. Vitebergæ excudebat *Ioannes Crato Anno M. D. LX.* Ex ipsa Elegia accipe sequentia:

*Hæc tibi Suerina leti cantauimus vrbe,
Qua mihi tum tecum viuere dulce fuit.
Qua nos ad mensas, virides et duxit in hortos
Mylius et vates fouit amore duos:
Mylius Argolicæ decus admirabile lingue,
Mylius et Latiae gloria prima toge:
Cuius habet dulcis meritas facundia laudes,
Cui facile nullum dixeris esse parem.*

Deinde, postquam Schofferum et Codicium, ut horum semper retineret memoriam, commendauit, hic exitus est carminis:

*Ergo mihi longos frater dilecte per annos
Salve, perpetuum terque quaterque vale.*

Denique hoc ipso anno prelo est subiecta *Ioannis Boceri brevis illustratio urbis Hagensis sitæ in ditione illustrium comitum Schouuenburgensium cum catalogo clarorum aliquot viro-
rum*

rum in ea urbe natorum, scripta ad Reuerendissimum et illustrem Principem et Dominum, Dominum IOHANNEM TIDEMANNVM Hagensem, et Praesulem Lubecensem. Rostochii excudebat Stephanus Myliander M. D. LX. in 4to plag 4. In hoc rarissime occurrente scripto laudibus celebrat doctos Hagenses, in his amicum suum M. Bernhardum Holtorpium Poetam laureatum.

§. XV.

Nouo honore Bocerus auctus est anno M.D.LXI. quippe cum in Academia Rostochiensi, post instauratam priorem Euangelii doctrinam, primum solennia, Theologos ad altiores dignitatis gradus promouendi, die 29. Aprilis dicti anni, celebrarentur, testibus tabulis Ministerii S. Tom. X. pag. 12. teste etiam Luca Bacmeistero in Historia Ecclesiæ Rostoch. Tom. I. Monumentorum in editorum Viri Perillustris atque excellentissimi E. I. de Westphalen Col. 1553-1656. proposita, finito actu theologico, M. Bartholomæus Clingius Confluentinus, Rheticæ et Dialecticæ professor, et Iohannes Bocerus Westphalus, Poeseos Professor, gradu Licentiatorum Iuris ornati sunt a Decano D. Iohanne Boukio Hamburgensi I. V. Professore, atque illustrissimi Principis VDALRICI Consiliario. Editus hoc anno est ΘΡΗΝΟΣ de IMMATVRA MORTE ALBERTI Iunioris, Ducis Megalburgensis etc. optimæ spei et admiranda et generosa indole supra etatem excellentis pueri, et illustrissimi Principis et optimi Herois IOANNIS ALBERTI, Ducis Megalburg. etc. primi et maximi natu filii, qui cum ingenti tristitia et dolore Illustriss. principis Marchionis ALBERTI, et ducis Borussie etc. ani sui carissimi in Regio monte Anno Christi 1561. 2. die Martii pie defunctus est. Rostochii excudebat Stephanus Myliander M.D.LXI. plag. 1. in 8uo. Epistola qua nuncupat epicedium

dium hæc est: *Illusterrimo Principi et Domino, Domino ALBERTO, Marchioni Brandenburgensi, Prussiae, Stetinensi, Pomeranie, Cassubiorum, Vandalarumque Duci, BVRGGRAVIO Nürebergenhi, ac Rugiae Principi, Domino suo Clementissimo S. P. D. IOANNES BOCKERVS.*

Inlyte dux meritis, et forti pectore præstans,

Et requies populi, curaque fida Tui!

Solnimus inferias, et rapto insta nepoti,

Et querulo mestos fudimus ore sonos.

Has Tibi do lacrumas. Sed quid Tibi tristia mitto

Carmina? cur canos sollicitoque Tuos?

Nil ego peccavi. Mors hac sed carmina suavit

Ante diem generi pernicioса Tuо.

Ipse ego cum primas puer hic se ferret in auras,

Tingitur arx liquidis qua Suērina vadis,

Ad Viadri ripas carmen natale canebam,

Testatus latis gaudia multa modis.

Nunc idem lacrumis (quoniam fors omnia versat)

Humeclō querula tristia pleclra chelis.

Accipe Dux fortis commixtis tristia letis,

Et, dare qua possum, consule dona boni.

Omnia nam summum, quo Te veneramur, honorem

Testanturque animi debita signa mei.

Epicedio huic subiicit duo Epitaphia, in eundem principem, quorum prius ephemerides Posselianæ quoque exhibent.

§. XVI.

Neque vero compressis, vt aiunt, manibus Bocerus sequenti anno M. D. LXII. sedit; sed præter labores academicos sequentia in lucem prodire iussit scripta. Primum hoc
titulo

titulo exiit: *Iohannis Boceri de Morte Trium præstantissimo-
rum Germaniae poetarum et clarissimorum virorum, D. Georgii
Sabini, V. J. Doctoris, et D. Iohannis Stigelii et D. Petri Lo-
tichii secundi Medicinae Doctoris Aegloga Rostochii excudebat
Stephanus Mylander 1562.* suo plag. 1; Dedicauit hanc æglo-
gam clarissimo viro, virtute et doctrina præstanti *Daudi Pei-
fero J. V. Doctori et Illustrissimi Principis JOHANNIS AL-
BERTI Ducis Megapolæ etc. consiliario, amico suo carissi-
mo.* In hac epistola commemoratu digna hæc leguntur:
*Quantum vero peculiariter ad virtutem et dignitatem poeticam
attinet, quæ in his tribus viris ad ipsam maturitatem et con-
summationem perfecta cum gloria eluxit, summi et excellentes
hi tres viri in Germania fuerunt: et borum ingenii munere et
felicitate id consequuta est Germania, quod se Italis, Gallis
et Hispanis, et aliis nationibus in hoc studii genere audacter
conferre, et nomine pietatis, et rectitudinis, et veri usus,
summo iure præponere potuit.* In fine æglogæ adiectum est
epitaphium Reuerendi et clarissimi viri M. JOHANNIS
FREDERI veteris emporii Vismariensis Superintendentis
vigilantissimi a Bocero scriptum, quod etiam legas in ora-
tionibus Dauidis Chyträi, quas eius filius, Dauid Chyträus
Honouiæ 1614. in octaua forma typis Wecchelianis exscribi
curauit pag. 648. et 649. Porro epitaphium clarissimæ fe-
minæ et castæ matronæ HELENÆ STELLÆ, coniugis
viri clarissimi M. Tilomanni Stellæ, absente marito defunctæ.
Alterum sub sequenti inscriptione continetur: *Scripta quæ-
dam Lugubria de immatura morte piæ et honestæ fœminæ ELL-
ZABETHÆ EBELS coniugis dilectissimæ M. EBERHARDI
LOTHMANNI Osnabrugensis Iuris in Academia Rostochiana
Professoris publici. Menander,*

οὐ φιλεῖ Θεός, ἀπὸ Θύσεων νέος

Rostochii excudebat Stephanus Mylander 1562, plag. 2. in 8uo.

In



In his: *In obitum clariss. et pie et honeste fœminæ ELISÆ coniugis doctissimi viri M. EBERHARDI LOTHMANNI.*
Iohannes Bocerus I. V. Licentiatus F.

§. XVII.

Vberiorem carminum Bocerianorum prouentum tulit annus M. D. LXIII. Nam ineunte hoc anno prodierunt *Iohannis Boceri AEGLOGÆ SEPTEM ad Illustrissimum Principem et Dominum, Dominum IOHANNEM ALBERTVM Ducem Megalburgensem etc. Principem et Mæcenatem suum optimum et clementissimum.* Rostochii excudebat Stephanus Myliander 1563. in 8uo, plag. 3^o. Consecravit has Aeglogas Inclito heroi D. IOHANNI ALBERTO Duci Megapolæo etc. strenuo virtutis cultori, et veræ de Deo doctrinæ, bonarumque artium adsertori et defensori vigilantissimo, Principi et Mæcenati suo optimo et clementissimo breui carmine elegiaco, quod excipit epistola ad Virum clarissimum et eloquentia et doctrina ornatissimum M. ANDREAM MYLIVM Ducis Megapolæi consiliarium et Achatem fidissimum, patronum Boceri optimum et meritissimum, qua significat, se tres priores aeglogas ante aliquot annos lusisse et primam *Borussum*, alteram *Vernouium*, tertiam *Thuisconem* propter argumenti rationem inscripsisse, sed nunc easdem recognouisse, illisque alias quatuor adiecissee, propterea quod intellexisset, Andream Mylium lectione Aeglogarum vehementer delectari et refici. Aeglogæ IV. nomen est *Nyctilus*, *V. Phyllis*. VIta interlocutores sunt *Lycidas* et *Coridon*. VIIam nominauit *Pharmaceutriam*. Mense Iunio huius anni edita est *ad Reuerendum et amplissimum virum D. ANTHONIVM MINSCHIVM*, apud inclitam Mindam Ecclesię S. Martini Præpositum. Et ad S. Iohannem Euangelistam Decanum. Et templi beatæ virginis Mariæ Pastorem vigilantissimum IOHANNIS BOCKERI, de Legum digni-

*dignitate, excellentia et fructu ORATIO habita in celebri
 Academia Rostochiana, cum illi gradus Licentiae in utroque Iu-
 re concederetur Anno Domini 1563 Mense Aprili.* Oratio scripta
 est genere carminis heroico plag. 2. in 8uo. Ex epistola,
 qua Minschio orationem dicat, huc transfero Minschii lau-
 des: *Sæpe enim recordor, quanta humanitate et benevolentia
 me nuper in patria complexus, quantoque munere me homi-
 nem nunquam antea tibi visum prosecutus sis, cum ad tuam
 amicitiam aditum mihi patefecisset vir clarissimus M. Her-
 mannus Huddaeus: Et profecto memoria et recordatio eius
 temporis, quo exiguo saltem spatio coniuncti fuimus, saepe mihi
 iucunda fuit. Cognoui enim in tua amplitudine hominem ad
 omnia virtutis officia natum, et mirifica ingeni comitate et mo-
 destia prædictum, et te unum ex multis amplissimi tui ordinis
 esse, qui animi et corporis et fortune dotibus recte et moderate
 vti didicerunt. Et ea omnia, quæ litteris et sermone aliorum,
 præcipue vero Huddaei de præclaris tuis virtutibus acceperam,
 coram re ipsa cumulatiora perfectioraque esse, quam in primis
 videri poterant, expertus sum. Collaudata deinde magna
 huius viri prudentia in recte collocandis opibus et facultati-
 bus, quippe qui omnibus rebus maxime ornatus et copio-
 sus erat, ira pergit: *Quis non immortalibus efferat laudibus
 tuam in virginibus tenuoris fortis elocandis et maritandis li-
 beralitatem et munificentiam? in viduis et orphanis subleuan-
 dis alacritatem et industriam? in ingenii egentium Scholasti-
 corum excitandis auxilium et cupiditatem?* Taceo hic, quæ pu-
 blica ciuitatis in te suscipis onera, et propriis sumtibus vias pu-
 blicas, muros et fossas urbis edificas et exornas. Et quan-
 tum in his omnibus reipublicæ prospis, testatum confirmatumque
 relinquet in omnem posteritatem Dni Iohannis in patria urbe
 templum, quod prope collapsum propriis tuis opibus instaura-
 tum, et turri admirabilis pulcritudinis, reliquisque splendidis
 edi-*

adificiis innovatum et exultum. Profecto Anthonius Minschius rarissimum exemplum incredibilis prosperitatis, singularis successuum felicitatis, mirificæque liberalitatis extitit. De eo memoriae proditum est, posteaquam anno 1547. mense Septembri Decanus Collegii Ioannitici, *Ioannes Reſcheue*, officialis Mindensis exspirauerat, anno 1548. d. 14. Ianuarii electum fuisse Decanum *Antbonium Minsche* Mindensem, Constructorem Curiæ Decanalidis, et obiisse anno 1603. d. 17. Nouembris. Itaque viuidæ senectutis beneficium percepit, quod Deus iis promisit, qui benigne faciunt indigentibus. Neque vero satis mirari possum Hamelmanni acerbum animi iudicium, atque censuram, quam de Minschio fecit. Nam etsi pag. 648. Operum genealogico-historicorum Lemgouiae editorum ipsum *Patronum suum collendum* dixerit, pagina tamen 1044. vocatur ab eodem *magnus curtisanus et ecclesiasticorum beneficiorum deuorator, homo impius, qui nomen habet a Minsche, sed non est dignus, ut nominetur homo, potius nominaretur bestia, sed recte dicitur Minsche, quia carnalis homo vere est:* et pag. 1316. in eorum numerum refertur, qui fuerunt egregii concubinarii, qui publice domi aluerint scorta: et pag. 846. multorum beneficiorum ecclesiasticorum possessor audit et insignis Romaniſta et curtisanus. Quantum hæc iudicia inter se discrepant! Illa equidem conciliare nequeo.

§. XVIII.

Mense Julio eiusdem anni lucem adspexit, *de origine, antiquitate, et celebritate urbis MINDÆ ad ripam Visurgis in veteri Saxonie sitæ, breuis declaratio IOHANNIS BOŒRI Rostochii excudebat Stephanus Myliander 1563. plag. 3. in suo.* E dedicatione ad clarissimos et ornatissimos viros inclytæ Mindensium Reipubl. Consules dignissimos, totum-

E 2

que

que Senatus ordinem amplissimum (constituebant autem Senatum anno 1563, ex electione: Rudolphus Culemann, et Conradus Lüdeking Consules, Georgius Backhus, Ioannes Broyer, Bartholdus Bulle, Henricus Pieper, Arnoldus Farken, Ioannes Sobbe, Daniel Hæuermann, Nicolaus Euerding, Ioannes Catemann et Franciscus Bulle) excerpto illa præclara: *iuentuti, inquit, in vestra vrbe præfectus est clarissimus vir, et ad hanc rem natura expolitus, M. HERMANNVS HVDDÆVS, qui præfecto vir bonus est, et talis, qualem iuxta Fabii sententiam, decet esse ludi moderatorem. Lucet in illo pietas eximia, et doctrina admiranda ingenii comitate et morum facilitate aucta et conspicua: et, quod nequit quam bac in re extremum est, in docendo dexteritas, et peculiaris quedam felicitas: nam male monstrante magistro, discipulum probe edoceri, difficile et impossibile est. Magna itaque prudentia opus est, et singularis cura in magistro pueris præficiendo: non omnia enim, quantumvis docta ingenia, huic officio conueniunt: et pueros tardius aut citius pro diuersitate docentium et instituentium proficere videmus. -- Iuentus cum magistri studium cum comitate et amore erga se coniunctum esse cognoscit, tum vltro, que ipse iussit, præstare cupit, et ab illo laudari et probari pulcrum ducit. Talem magistrum, in quo hæc omnia illuminata et perfecta videntur, iuentuti in vestra vrbe præpositum, cum nuper in Patria vidisse, incredibilis mihi oborta letitia, et non leuis spes ostensa fuit, rem litteriam ad pristinum dignitatis gradum in vrbe Mindensi redire posse. Quod breuissime fiet, si vos ad felicitatem Reipubl. pertinere censueritis, liberalitatem erga eos exercere, qui vtiliter iuentutem instituere et regere didicerunt. Ex ipso carmine heroico hoc transfero ea, quæ vitam et studium Boceri illustrant, et ipsum potissimum Virgilium atque Ouidium sibi ad imitandum proposuisse, sunt documento:*

Minda,

Minda, mihi tenero fuit urbs qua cognita lusu,
 Carmen erit: Minda meritos debemus honores.
 Hac primum patriis puerum me exceptit ab oris,
 ARX ubi vicini retinet cognomina MONTIS;
 Hic ego vitales hauſi puer editus auras:
 Minda sed Aonias me primum duxit in artes.
 Hic ego prima mea traduxi tempora vite,
 Sepeque colludens ad flumina nota Visurgis,
 Fessaque sub viridi prostratus corpora ripa,
 Sicut eram cinctus libris, ter dulce Maronis
 Et mirabar opus, Scythicis quod Ouidius oris
 Egit in undenas rerum cum pondere leges:
 Et mihi iam puerο Musarum sacra placebant
 Immisitque mihi furtim se Phœbus Apollo.
 Gratia, Minda, tibi; tantis qua dotibus aucta,
 Quod puer hic potui sacris adsuescere Misis,
 Et innenile caput victuris tollere donis.

In fine carminis adiecit elegiam de Origine Poetarum ex Philone, quam eandem subiectam supra commemoratis VII Aeglogis inuenias. Inter Epithalamia in honorem nuptiarum clarissimi viri M. LEVINI BATTI Gandauensis, Mathematicum in inclyta Academia Rostochiana Professoris et pudicissimæ virginis ANNÆ eius sponsæ, filiæ reuerendi senis M. CONRADI PEGELII, qui bonarum artium et philosophiæ studia quinquaginta quinque annis in illa Academia fideliter propagauit, quæ Rostochii Stephanus Myliander excudit anno 1563. plag. 2. in quo legas Ioannis Boceri ad sponsam Annam nomine sponsi scriptum Epigramma alludens ad nomen Anna, idque in fronte.

§. XIX.

Electus est Bocerus anno M.D.LXIV. d. VIII. Calend. Maii in Decanum facultatis artium, tamquam artium et philosophiae Magister, eoque Decano promoti sunt Baccalaurii et artium Magistri quatuor honesti viri, quorum tres posteriores forte nacti sunt loca, nominatim *Casparus Leunculus*, *Conradus Porta Osteruicensis*, *Laurentius Widemannus Silesius*, *Johannes Walbomius Mindensis*. Hic est ille *M. Walbomius*, qui aliquamdiu Rectoris officio in schola Mindensi functus, successit *M. Hermanno Huddao*, qui *Bernhardum Lüderum* exceperat, in templo Martiniano, resque diuinas administravit. Eodem anno mense Octobri, cum letores ordinarii communi et vnanimi omnium decreto constituerentur et ordinarentur in philosophia, sextus ordine *L. Johannes Bocerus Professor poeticae et historiarum renuntiatus* est. Cumque hoc ipso mense forma constitutae honestae et æquabilis disciplinæ in omnibus Regentiis seu Domibus Academiæ Rostochiensis describeretur, subscriptis *Johannes Bocerus P. artium et Philosophiae M. et I. V. Licentiatus*. In controversiam videtur paullo ante vocatum fuisse Magisterium Boceri, fortassis propter modum, de quo supra egi, quo renuntiatus erat Magister: sed Magisterium eius a D. Davide et toto concilio approbatum et decretum fuisse, ut imposterum omnia officia Decanatus libere obiret, legitur in annalibus academicis anni 1564. d. 13. Octobris. Publicis Academiæ scriptis, quæ hoc anno ab ipso diuulgata sunt, ita nomen suum præfixit: *Johannes Bocerus Poeta laureatus et I. V. Licentiatus*, *Facultatis artium Decanus* S. nec non, *Decanus Collegii philosophici Johannes Bocerus* S. item *Decanus facultatis philosophiae Johannes Bocerus*, S. Quando autem *Decanus collegii facultatis artium* vocatur, id intelligendum est de in-

inspectione et gubernatione domus academiæ, quæ *Collegium facultatis artium* dicebatur, quam cum aliis quinque dominibus sive Regentiis inhabitabant bonarum artium studiosi, sub Magistrorum gubernatione, qui locarii tertiam partem ex dominibus sibi commissis, mercedis loco accipiebant.

§. XX.

Accedo tandem ad annum M. D. LXV, quo ad vitæ exitum vocatus est Bocerus. In eunte hoc anno *Sacrorum Carminum et piarum precationum Libros quatuor Rostochii* in officina typographica Iacobi Transylviani in suo plag. 11. typis exscriptos edidit, quos Reip. Gedanensium Consulibus totique Senatus ordini amplissimo consecrauit præmissa de cultu DEI epistola. Duæ huius libri editiones prodierunt eodem anno, eadem forma, in officina eiusdem typographi, sed posterior typis cursiuis paullo maioribus est impressa et continet plag. 13. auctiorque prima est. Vtramque editionem inter se contuli et multas deprehendi varietates. In fine posterioris editionis adiecta sunt 1) *Epitaphia quædam Henrici Boceri infantuli et filioli V. C. Iohannis Boceri scripta a Rectore et Collegis et discipulis Gymnasii Dantiscani anno 1563.* 2) *Epitaphium Henrici Boceri infantis, qui vixit annum unum et tres septimanas et dies, obiit 20 Augusti anno 1563. scriptum a patre Iohanne Bocero.* Superiori iam tum anno grauis pestilentia plures Germaniæ prouincias inde a maris Baltici littoribus usque ad Rhenum fuerat depopulata; id quod testantur non tantum ipsius Boceri carmina atque Præfatio sacrorum carminum ad Senatum Gedanensem, verum etiam *Epitaphia eorum, qui Basileæ et in agro Basileensi anno M. D. LXIII. peste interierunt virorum illustrium etc.* edita a Paulo Cherlero Basileæ per Ioannem Oporinum anno 1565 mense Martio in 4to plag. 17. Hoc autem anno saeuissi-

uissimæ pestilentia contagia vfferunt urbem Rostochium agrosque circumiacentes atque intra quatuor mensium a Iunio spatium supra octo hominum millia perculerunt. Præter sex alios academiæ professores, etiam Ioannes Boce-rus cum coniuge ac liberis extinctus est die 6 Octobr. 1565. Sebastianus quidem Bacmeisterus in prodromo Megapol. litteratæ Tom. III. Monument. in editorum Illustr. de West-phalen p. 1200 refert hanc pestiferam luem ad annum 1564 Matthæo Rœslero academiæ Rectore: sed errauit. Annus enim 1565 Rostochio agrisque fuit pestilens, et rectore academiæ Gerardo Nennio Sleidano Art. et Medicinæ Doct. academicos dissipauit. Dauid Chytræus, testis saeuissimæ huius pestilentia æuropæns, adfirmat, tabem hanc pestiferam circiter 10000 hominum confecisse; atque in epistola editioni Concionis Cypriani de Mortalitate præmissa, data postridie Septembr. anni 1565, hæc de lue ista grauissimis verbis monet: *Iram DEI aduersus mea, tua, et vniuersi generis humani peccata non inane terriculamentum aut μορμολύκειον, sed vere IGNEM CONSVMENTEM esse; vindicibus flammis sibi qui contraria delet, ipseque iustitiae regula sola manet: clarissime ostendunt tum ceteræ nos et totam viciniam obruentes bellorum, et multiplicitum malorum, que bella, præsertim intestina, comitari solent pæne tristissimæ: tum vero imprimis pestilentia et lues saeuissima, que igne mortifero imis præcordiis concepto, statimque per totam corporis machinam exæstuantem, spiritus vitales enecat, et breui tempore multa hominum millia incendio suo absumta trucidat.* Omnes quidem totius generis humani calamitates et miseriae, quarum commemoratione et exemplis tota mundi historia stipata est, illustris concio sunt de ira DEI et summa FRAGILITATE et FVGACITATE vitae et omnium rerum humanarum, et omnes homines singulis totius vita sue momentis morti obnoxii et vere nihil aliud

aliud sunt, quam χρήσις, σκιά, φάσμα, δρόσος, πνοή, πτερόν,
ἀτμή, ὄνειρος, οἰδημα, ρόος, νῆσος, ἵχνιον, ἀυρα, κόνις. Sed ta-
men illustrius et clarius conspicitur, et magis adficit et per-
cellit animos et pectora hominum, præsens hæc tristissima mor-
tis imago, cum tota die funera longo ordine ad sepulturam du-
ci, et notos ac amicos nostros hodie valentes et incolumes, po-
stridie incendio pestili ardere, et intra triduum fere interfici
cernimus, et omnes in tota urbe domos vel cadaueribus aut
egrotis plenas esse, vel certe luctu et eiulationibus resonare
audimus.

§. XXI.

In ephemeridibus Academiæ Posselianis duo repe-
riuntur epitaphia Boceri, vnum Græcum, alterum Latinum.
Græcum fecit M. Iohannes Posselius Parchimensis: Latinum
epitaphium Boceri, qui decessit prid. Non. Octobr. 1565.
scripsit Henricus Mollerus Hessus, quod subiungam:

*Vates Aonia prælustris in arte BOCERVUS
Hic iacet: heu vatum gloria quanta iacet!
Pondere Stigelii venam, splendore Sabinum
Rettulit, ingenio par fuit, Hesse, tibi.
Id quod Apollinei perhibent suffragia cœtus,
Ipsiusque quidem plurima scripta docent:
Hac tamen imprimis, voluit quibus ipse perenni
Laude Megalburgos concelebrare Duce:
Sceptraque Danorum simul et primordia Regum,
Et dominatores Gallia magna tuos,
Grandia dinini qua sunt monumenta Poetæ,
Lota Meduseo flumine, digna Cedro.
Quid mores, quid fortunas, quid pectora dicam?
Moribus, ingenio, sorte poeta fuit.*

Innocui fuerant mores, et peclus apertum,
 Et tenues vita liberioris opes.
 Hei quam luctifici fers agmina longa doloris,
 Dum violas tantum pestis acerba decus!
 Aonides et Apollo gemunt, proceresque potentes,
 Et quicunque colunt musica castra, dolent.
 Hos quoque Mollerius tristi de pectore fletus
 Fundit in exequias, chare Bocere, tuas
 Utque tua cœlos animæ, vatumque piorum
 Optat in illustri gaudia vera choro:
 Utque tuas omni mansuras tempore landes
 Nouit, et ingenii carmina docta tui:
 Sic requiem cinerique tuo, sanctisque precatur
 Manibus, atque isti nomina magna loco,
 Qui tua membra tegit: violas ferat ille perennes,
 Atque Medeis lilia mixta rosis.

Dolendum vero est, cum auctore suo interisse magnum
 illud opus, quod FRANCIADA inscripsit, nisi forte alicubi
 in scriniis later MSCtum, quo res gestas Francorum illu-
 stravit, eiusque mentionem fecit libro I, Sacrorum Carmi-
 num litt. c. 3. fac. b.

Si placet, o superi vatem seruare precantem,
 Nec graue sit tempus vivere posse breve:
 Dum mea vel iusta poterint prodire litera
 Hen tot adhuc maculis carmina pressa suis:
 Vel mihi cepta suos ut FRANCIAS expleat annos,
 Atque virum referat nomen in ora meum:
 Que modo vix SENIS iacet imperfecta LIBELLIS,
 Longaque suscepit meta laboris abest.

Eius-

Eiusdem operis meminit in epistola ad amicum suum
non vulgarem Lambertum Pithopœum scripta Rostochii d.
19 Octobris 1558 his verbis:

*Sola nec impensa defendo munera partis,
Accedit curis FRANCIAS ampla meis;
Illa mibi tempus venientis surripit hora,
Lassat, et ingenium deuorat illa meum.
Et iam confeci BIS TRINOS ordine libros;
Longa tamen cepi meta laboris abest;
Et nondum potui Scythicis decadere terris,
Pralia dum rigido cuncta sub axe cano.
At cito me capient fecundi littora Rheni,
Et res extollam, clare Sicambre, tuas.
Interea superos mecum, Lamberie, precare,
Ut ceptum fausto fidere crescat opus
Fallor, an et patrias hoc cernes carmine laudes
Et releges gentis facta vetusta tua?*

Pithopeus respondit Bocero litteris Wittembergæ exara-
ratis Nonis Decembris 1558 in qua hæc occurunt:

*Ampla tibi tempus venientis deuorat hora
FRANCIAS, et erassis non sinit ire dies.*

Et non multo post:

*Sed satis hac, tu ne magnis desistito ceptis
Et cane FRANCORVM fortia facta ducum
Auraque quo cernat cito publica, perfice libros,
Quos de FRANCORVM scribis honore ducum.*

Vtinam idem huic Franciadi eueniret, quod contigit
Aeglogæ Ioannis Boceri, quam suerimus inscriptis. Hanc enim
Perillustris atque excellentissimus vir E. I. de Westphalen
Tom. III. Monumentorum ineditorum pag. 1696 seqq. in

lucem protraxit. Huius Aeglogæ argumentum est: Matthias Marcus Dabercusius, singularis formandæ iuuentutis artifex, præclaram in schola illustri Misnensi multos annos nauauit operam, et de ingeniis puerorum optime meritus, immortalem tanti beneficii causa gloriam est consecutus. Hunc illustrissimus Princeps Io. Albertus Dux Megalburgen-sis cet. vt suis quoque pueris et toti posteritati prospiceret, auctore clarissimo viro Andrea Mylio Suerinum arcessiuit. Quo quidem in oppido Scholam Dabercusius aperuit non ignobilem, et, quantum docendo possit singulari fide et felicitate quadam sua reapse satis declarauit. Quidam igitur ex Dabercusii discipulis Misnensibus, eum relicta Misnia in littus Balthicum peruenire potuisse miratur, et ex eo causam mutatæ conditionis inquirit. Tomo eodem III citatur Panegyricus Boceri de restaurata Academia Rostochiensi ad Ducem Megapolæum; sed eum usurpare mihi non contigit.

§. XXII.

Restat, vt aliquid de prælectionibus Boceri academici addam, et subiungam elogia, quibus doctissimi viri Bocerum celebrarunt. Publice Virgilii Libros VI. Aeneidos enucleauit, rationem versuum faciendorum e tabulis Iohannis Murmelii commonstrauit, Cæsaris commentarios de bello Gallico explicauit, quorum libro quinto est immortuus. Erudita programmata, quibus partim soluta, partim ligata oratione ciues Academiæ ad explicationes suas inuitauit, ephemeredes Poffelianæ conseruarunt. Iudicia doctorum virorum de Bocero, præter ea, quæ superioribus sparsim intermisui, quatuor adhuc adferam. Primum est Davidis Chyträi ex epistola ad Henricum Meibomium: *Habui, inquit, et in hac Rostochiensi academia collegam et amicum*

Io-

Iohannem Bocerum prope Mindam in Westfalia natum, cuius ingenii felicissimi vertutem crebro admiratus sum, dum post cænam sèpe ac Enii exemplo bene potum, magnam optimorum versuum copiam fundere sine ullo labore et sine litteris (substituerunt quidam Litruris; sed respicit Chytræus ad Cic. Orat. pro Archia poëta c. VIII. Quoties ego hunc vidi, cum litteram scripsisset nullam magnum numerum optimorum versuum de his ipsis rebus, quæ tum agerentur, dicere ex tempore?) viderem, cum mibi matutinis horis magna animi intentione lucubranti, et multa subinde delenti ac retexenti vix extundere aliquid in soluta oratione liceat, iterum legi non indignum. Alterum est Ioannis Caselii elogium in Epistola ad Ioannem Reccitum imperialis Reipublicæ Goslariensis consulem: *Et ipse Westphalos viros doctissimos noveram sane multos, et celebrari a bonis audiern plures, e quibus erant præcipui et memorie consecrandi, si quis scribendo tantum valeat, Tulichius, Riuius, Burenus, Glandorpius, Arsenius, Dabercusius, BOCERVUS, Roleuinckius, Lenicerus, Orestes, Pollius, Reineccius, quos ego in litteris admodum probavi omnes, plerosque noui, cum pluribus non vulgarem, cum uno atque altero singularem amicitiam colui, vni utque alteri fui carissimus.* Pergit deinde pluribus interiectis: *Colui autem amicitiam cum IOANNE BOCERO ad Varnum non minus, quam ante ad Albim et ad Viadrum; quem ego non doctum solum, sed et integrum, et recte sentientem de educatione in litteris cognoueram.* Interpretabatur splendide poetas, idque ad veterum rationem, quam solam esse veram iudicabat, in noua inesse futilem ostentationem, nihil solidæ eruditioñis sèpe clamitans. Sed et reliquit ingenii monumenta, cum alia, tum elegias, quibus reges Danie descripsit, facili nec inculto carmine. Tertium encomium est, quod Bocero tribuit Sebastianus Bacmeiterus V.D. M. in continuatione annalium

Herulorum ac Vandalorum libr. VIII. cap. I. Tomo I. Monum-
mentorum in editorum pag. 344. JANVS, inquit, BOCERV
poeta doctus et elegans, atque in Academia Roztockensi postea
ordinarius Poet. Prof. famosissimus, in libris suis quos de Origine
et rebus gestis Ducum Megalb. nitidissimis versibus conscripsit,
tale elogium Henrico nostro pacifico erexit: Utior Princeps etc.
Quartum denique testimonium perhibet Clemens ab Achte-
felt Amersfordiensis, qui anno 1558 idibus Nouembris ultim-
um vale Rostochieni academia elegia quadam dicens,
his verbis Bocerum adloquitur:

Ergo viue valeque din DIVINE BOCERE,

Quo non maius habet patria terra decus:

Sis memor usque mei: nam te CVLTISSIME VATES

Eruet e nostro pectore nulla dies.

Præterea Ioannes Schofferus, qui elegiam, qua sera gra-
tulatione nuptias Boceri celebrauit, ita exorsus est:

Incyte Musarum Phabique, Bocere, sacerdos,

O Aganippai maxime fontis honor!

reliquit nobis in insignia Ioannis Boceri, quæ Venus et
stella erant, elegans epigramma sequens:

Non Dea, quæ Martem gremio turpisima fuit,

Gestatur clypeo, docte Bocere, tuo:

Sed quæ dulce rubens, et purior omnibus astris,

Suppeditat vati scripta venusta, Venus.

Hæc tibi nascenti radiis felicibus orta,

Innumeras Veneres officiosa dedit.

Vnde tua viui spirant e voce lepores,

Et blanda charites, et bene comitus amor.

Hæc sunt, humanissime Lector, quæ ego alienigena de
poeta Mindensi præstantissimo Tecum communicare volui.

Scripta

Scripta eius minora, et hoc ipso rariora, DEO volente,
per fasciculos a me exspectabis, lectis vero iis, quæ in me-
dium protuli, mecum exclamabis:

O GENITRIX TANTI VATIS WESTPHALIA GAVDE!



Quandoquidem ex Amplissimi Senatus Mindensis in-
stituto, singulis bienniis solenne exercitium oratorium in
auditorio Gymnasi maiori est præfinitum, iuuenes primi
ordinis selecti decem, qui dotibus ingenii, industria mo-
rumque modestia mihi haud tenuem spem ostendunt, ideo-
que sunt carissimi, de variis argumentis poeticam attingen-
tibus sequenti ordine verba facient:

1. IO. DANIEL FRID. STOCKMEIER, *Hagenis*, de Seculis poëticis apud Græcos ex Vellej. Paterculi Lib. I. c. XVI. Germ.
2. HENR. CONRADVS SCHENCKE, *Vflenia-Lippia-*
cus, de Seculis poëticis apud Romanos. Germ.
3. GEORGIVS PHILIPPVS QVADE, *Mindanus*, de Laudibus poëticis. Carmine Germanico.
4. IO. TOBIAS HENR. WIEGLEB, *Tenstadio-Saxo*,
de Seculis poëticis apud Germanos. Germ.
5. IO. CHRISTOPHORVS FVCHS, *Bilefelda-Rauensb.*
de antiquitate Poetarum. Latine.
6. CAROLVS CHRISTIANVS LÜDERVS, *Mindenſis*,
de dignitate poetarum. Gallice.

7. Io.

QKTh 7363


x394846

ND 18

48

7. IO. HENR. GVILIELMVS HVDDIG, *Hervordiensis*, de vtilitate poetarum in scholis. Latine.
8. CHRISTIANVS GOTTLIEB BENEKE, *Hausbergam Mindenis*, de poetarum paupertate. Latine.
9. IO. AVGVSTVS SAGITTARIVS, *Bilefelda-Rauensb.* de vtilitate poetices in Republica. Latine.
10. RVDOLPHVS CAROLVS FRID. OPITIVS, *Mindanus*, Beneficia, quæ per centum continuos annos, sub imperio Serenissimæ, Potentissimæ et Clementissimæ DOMVS BRANDENBURGICÆ, Mindenis principatus percepit, laudibus celebrabit, et auditoribus gratias ager, vernacula.

ILLVSTRES AC SVMME REVERENDOS, AMPLISSIMOS DOCTISSIMOSQUE rei litterariæ PATRONOS ET FAVTORES, vt hanc acroasis sua præsentia, die XXVII Aprilis hora nona in auditorio Gymnasií maiori, ad excitandam studiosæ inuentutis industriam, illustrare non dedignentur, ea, qua par est, obseruantia rogamus.



B.I.G.

Black

19
18
17
16
15
14
13
12
11
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1

3/Color

White

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

Magenta

Red

4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

Yellow

3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

Green

Cyan

2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

Blue

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

Centimetres

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

Inches

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

Farbkarte #13

CH. 525. 13.

B. m. I

II n
7363

IOANNIS BOCERI,

POETAE MINDENSIS

PRAESTANTISSIMI,

VITAM, FATA ET SCRIPTA

ACCVRATIVS EXPONIT,

ET AD

ACTVM ORATORIVM

IN DIEM XXVII. APRILIS

ANNI MDCCL.

EOS, QVIBVS HVMANITATIS STVDIA CORDI
SVNT,

PEROFFCIOSE AC PERAMANTER
INVITAT

IOAN. CAROLVS OPITIVS

R. M. G.

MINDÆ, STANNIS ENAXIANIS.

